



Early Journal Content on JSTOR, Free to Anyone in the World

This article is one of nearly 500,000 scholarly works digitized and made freely available to everyone in the world by JSTOR.

Known as the Early Journal Content, this set of works include research articles, news, letters, and other writings published in more than 200 of the oldest leading academic journals. The works date from the mid-seventeenth to the early twentieth centuries.

We encourage people to read and share the Early Journal Content openly and to tell others that this resource exists. People may post this content online or redistribute in any way for non-commercial purposes.

Read more about Early Journal Content at <http://about.jstor.org/participate-jstor/individuals/early-journal-content>.

JSTOR is a digital library of academic journals, books, and primary source objects. JSTOR helps people discover, use, and build upon a wide range of content through a powerful research and teaching platform, and preserves this content for future generations. JSTOR is part of ITHAKA, a not-for-profit organization that also includes Ithaka S+R and Portico. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

AD ALPES¹

By H. C. NUTTING
University of California

I²

Navis iam per undas perlabitur, omnesque in puppi consistentes litus leniter e conspectu recedens conspiciebant. Ac postremo Drusilla: "Tres iam sunt anni," inquit, "cum in hac terra barbara habitamus. Quam gaudeo nobis denique licere domum reverti ut tandem patriam et parentes nostros visamus!"

Tum Cornelius: "Recte dicis," inquit: "sed dum hic morabamur, multa miranda et iucunda vidimus, nec me paenitet his in terris longinquis triennium hoc transegisse. Sed nunc domi esse maxime cupio, ut Publius noster et Sextus omnia discant, quae civibus Romanis nota esse debent. Et ego ipse forum templaque deorum libentissime iterum aspiciam."

"Urbem vix in mentem revocare possum," inquit Cornelia; "tam eram parvula, cum huc profecti sumus"; tum subito se convertens ad Lucium, quem Anna in gremio sago contactum tenebat: "Et Lucius noster eam numquam omnino aspexit." Quae cum dixisset, fratrem parvum cupide amplexa est.

"Suadeo, uxor," inquit Cornelius, "ut cum liberis tu nunc in cameram redeas; nam ventus increbrescit. Sed ego et pueri paulo diutius in puppi ambulabimus."

Cum Drusilla cum liberis servisque in cameram se recepisset, tum Publius, ut ultro citroque ambulabant: "Videor mihi recordari,"

¹ Copyright by H. C. Nutting, 1921.

² This is the first chapter of a story of the travels of the family of a fictitious person named Publius Cornelius Strabo, who is represented as a Roman official stationed for some time in Asia Minor, and recalled to Rome on the death of Hadrian (138 A.D.). His wife is Drusilla; and they have four children, Publius, Sextus, Cornelia, and Lucius, aged respectively sixteen, twelve, eight, and a year and a half. Three of their slaves require special mention: Onesimus, an elderly man, who acts as steward; Stasimus, a home-born servant, much indulged, and Anna, a maid from Palestine, who has special charge of Lucius. The story opens as the party sets sail from Asia Minor, not knowing whither Cornelius will be sent after reaching Rome.

inquit, "quondam fuisse periculosum in mari Aegaeo navigare propter piratas, qui ubique castella haberent, unde in naves mercatorum impetus facerent repentinos."

"Per multos annos res ita se habebat," inquit Cornelius; "et mercatores hoc modo saepe perierunt, navesque eorum aut incensae sunt aut in mari submersae. Quin etiam piratae isti postremo tam audaces facti sunt, ut naves quoque adorirentur quibus vehebantur magistratus populi Romani."

"Papae!" inquit Sextus. "Nonne nomen magnum populi Romani veriti sunt? Cur non naves longae istos scelestos statim e mari fugaverunt?"

"Saepe id temptatum est," inquit pater; "Sed, ut est in vetere proverbio, 'incipere multo est quam impetrare facilius.' Quo modo factum est ut, cum naves alios consecrarentur, alii procul praedas agerent; nec finis fuit, priusquam custodia totius orae maritimae Gnaeo Pompeio Magno commissa est. Is tam acriter piratas laccessivit, ut sexaginta diebus omnes aut fugerent aut legatos pacis petendae causa ad eum mittere cogerentur."

Tum Publius: "Nonne Iulius Caesar ipse olim in potestatem istorum piratarum pervenit?"

"Recte dicis," inquit Cornelius. "Insulam Rhodum adire volebat, ut Apollonium Molonem, clarissimum dicendi magistrum ibi audiret. Huc dum hibernis mensibus transit, a piratis captus est, apud quos mansit dies fere quadraginta; interim comites Romam dimissi erant pecunias petitem quibus redimeretur. Dum ibi moratur, cum piratis comiter iocatus, saepe pollicitus est se reversum ab eis supplicium summum sumpturum. Illi scilicet adriserunt. Sed Caesar, cum pecunia numerata in litore deserto expositus esset, Miletum profectus est: ubi classe deducta piratas abeuntes est secutus, eosque omnes supplicio adfecit quod antea quasi per iocum minatus erat."

"Quam vellem," inquit Sextus, "piratae hodie quoque in hoc mari navigarent! Si nostram navem adoriantur, ego eis capita abscidam, priusquam in puppim escendere possint."

"Heia," inquit Publius, cum se horrere simularet; "quam bene piratis accidit Sextum nostrum illis temporibus maria non navigasse!"

Tum Sextus ira incensus; "Noli te iactare. Tu etsi maior natu es, ego tamen sum fortior."

"Agite, filii," inquit Cornelius. "Inter vos desinite iurgare. Tales rixae indecorae sunt. Sed existimo iam Onesium curasse ut esset quod ederemus. Eamus intro." Quae cum dixisset, ad cameram pedem convertit; ac Publius et Sextus, qui male esuriabant, libentur subsequuti sunt.

II

Illa nave vehebantur homines multi; sed dies complures tam asperum erat mare, ut plerique graviter nausea afficerentur, paucique in puppi ambulare possent. Mirus et molestissimus est hic morbus: qui enim eo afficitur, primo timet ne moriatur, tum veretur ne in vita retineatur.

Postremo autem omnibus melius est factum, rarique in puppim prodierunt. In eis erat senex quidam, qui lingua barbara utebatur, nec quisquam plane intellegere poterat quid dicere vellet.

Tum mercator dives, qui nequiquam cum sene loqui conatus erat: "Nonne est hic quisquam," inquit, "qui linguam huius peregrini intellegat?"

Fortę Stasimus haud procul stabat. Qui cum haec audivisset, ut erat vafer, "Ego," inquit, "linguas omnes scio. Si mihi exposueris quid rogare velis, ego libenter cum sene loquar." Quo dicto, ad senem accessit, et sermo huius modi institutus est:

Stasimus. Salve multum, senex.

Senex. Avo. Donni.¹

Mercator. Quid dicit, obsecro?

Stasimus. Dicit se iubere te salvare, et tibi donum dare velle.

Mercator. Benigne facit. Sed quaere, quis homo sit aut unde veniat.

Senex. Me har bocca.

Stasimus. Dicit buccam dolere.

Mercator. Fortasse nos esse medicos putat. Quaere, sis; nam hospitem sic errare nolo.

¹ This gibberish of course means nothing to Stasimus; but in each case he catches the suggestion of a Latin word or two, and audaciously invents an "interpretation" accordingly (e.g., *Donni* suggests *donum*).

Senex. Murph ursa mvulc.

Mercator. Quid nunc dicit?

Stasimus. Dicit se ursas vendere velle.

Mercator. Forsitan bestias comparet ad munus populi.

Senex. Palu mer ged etha.

Stasimus. Dicit se palas quoque vendere.

Mercator. Ad terram effodiendam, credo. Sed vix intellegere possum cur negotia tam diversa suscipiat.

Senex. Murphonnum sucorhim.

Mercator. Quid dicit, obsecro?

Stasimus. Te iubet sub corbem repere.

Mercator. Papae! Delirat profecto.

Dum hic sermo habetur, Publius et Sextus prope astabant, vix se continentes quominus in cachinnos erumperent. Sed iam e camera processit Cornelius, et Stasimus celeriter in puppim extremam se recepit. Quo facto, Cornelio mercator; "Estne ille Stasimus servus tuus?" inquit.

"Ita," inquit Cornelius, "nec usquam est homo scelestior."

"Haud ita mihi videtur," inquit mercator; "nam modo mihi operam benigne dabat, cum hunc perigrinum quaedam rogare vellem."

"Quo modo, obsecro, ille operam tibi dare potuit?" inquit Cornelius. "Multis linguis ego utor; sed ne ego quidem intellegere poteram quid ille ignotus dicere vellet, cum me paulo ante compellaret. Stasimus nihil nisi Latine scit."

"Suspikor eum me ludificatum esse," inquit mercator ridens. "Sed sine dubio omnia per iocum fecit; et spero te ab eo supplicium non sumpturum."

Tum Cornelius: "Dolis eius interdum ira tam incendor, ut vix me continere possim quin eum statim in crucem agam. Cum autem tu tam clementer suadeas, poenas non dabit—donec iterum noxiam merebitur."

Dum illi ita inter se loquuntur, peregrinus spe omni destitutus caput quassans tristis discessit. Interim Publius et Sextus ad proram processerunt, ubi stabant fluctus magnos admirantes. Et Sextus: "In hoc mari," inquit, "umquam pugna magna commissa est?"

“Olim,” inquit Publius, “Antiochus et Hannibal in mari Pamphilio cum Rhodiorum classe conflixerunt. Ac paulo post idem Poenus hostem alium miris modis fugavit, cum Eumeni, regi Pergameno, bellum inferret.”

“De hac pugna numquam audivi,” inquit Sextus. “Quid factum est?”

Tum Publius: “Modo librum Corneli Nepotis legebam, qui rem gestam ita tradit; Hannibal navium numero superabatur; itaque dolo ei pugnandum erat. Quare suos iussit venenatas serpentes vivas quam plurimas colligere, easque in vasa fictilia conicere. Cum dies pugnae venisset, imperavit ut omnes in Eumenis solum concurrerent navem, ceteras autem neglegerent. Quod ubi factum est, navis Eumenis fuga salutem petere coacta est, sed ceterae undique classem Hannibalis vehementer premebant. Tum in eas repente vasa fictilia, de quibus supra mentionem feci, coniecta sunt. Quibus in puppes fractis, naves hostium brevi serpentibus oppletae sunt, atque illi, nova re territi, terga verterunt regemque Eumenem intra praesidia, quae in proximo litore collocata erant, celeriter secuti sunt.”

“Hahae!” inquit Sextus; “Hannibal certe dux callidus erat. Vix turpe erat a tanto imperatore vinci.”

Tum Publius, post se respiciens: “Puto,” inquit, “nos nunc tuto redire posse. Stasimus videtur poenas effugisse, nec hospes usquam in conspectu est.”

Itaque e prora recesserunt, et se reddiderunt patri ceterisque, qui passim in puppi sedebant.

[*To be continued*]